

tempore sacrificii missæ. Itaque admiratione et lætitia plenus amicis multum spiritualibus seorsum narrabat: quemadmodum cum sacerdos oblationem sanctam facere inciperet, plurimi angeli a cælo delapsi splendidissimis stolis induti, nuda fronte, aspectu intento, vultu demisso circumstantes altare magna reverentia et quiete ac silentio usque ad ministerii consummationem assistunt. Deinde, discurrentes huc atque illuc per totam ecclesiam episcopos et presbyteros, qui corpus et sanguinem distribuunt, adjuvant et corroborant. » Tunc addit: « Hæc scribo ut intelligentes quanti tremoris sit divina missa, nec ipsi remissi timorem Dei negligatis, nec ullos alios loqui aut mussitare tempore oblationis, neque innuere audacter, aut a statu gravitatis dimoveri, neque huc atque illuc circumspicere aut ignave et disperse vagari permittatis. » Sic ille. Ipsemet S. Chrysost. testis oculatus, l. VI. de sacerdotio scribit: « Per id tempus angeli sacerdoti assident, et celestium potestatum universus ordo clamores excitat, et locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, angelorum choris plenus est. Vidit enim senex quidam admirabilis eo tempore angelorum multitudinem fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium atque sic capite inclinatum, ut si quis milites præserte rege stantes videat. » Cyrillus etiam in vita S. Euthymii abbatis scribit eum sæpe vidisse sacrificantem, et angelos secum Deo ministrantes et sacra contrectantes. S. Basilius sacrificium non peragebat, nisi divina visio ei ostenderetur, ut testatur Amphilochius, in ejus vita. Idem S. Gudwalus archiepisc. et alii. S. Ambr. super cap. 1. Lucae ait: « Non dubites assistere angelum, quando Christus assistit, Christus immolatur: » et v. Beda super Lucam ait: « Sicut posito in sepulchro corpori Christi angeli adstiterunt leguntur, ita etiam tempore consecrationis Dominici corporis assistere sunt credendi. » Et cur hoc non facerent angeli? Num satis sibi esse existimabunt, quod sciant ipsum in terra habere ministros qui ei assistant? Annon et ipsi quoque descendent ut socios se eis præbeant? Quando Christus in carne mortali venit in hunc mundum ut cruci affigeretur, descendit certe multitudo militiæ celestis laudantium eum magnaque cum lætitia dicentium: Gloria in altissimis Deo, etc. quid igitur nunc facient, eodem suo rege veniente glorioso in carne immortalis, ut novo quodam et stupendo modo in altari sacrificetur? *Omni dubio procul* (ait S. Gregorius, lib. IV. dial. c. XXXVI.) *in ipsa hujus sacrificii hora et ad verbum sacerdotis cæli aperiuntur et angeli descendunt, ut tanto huic mysterio Jesu Christi Dei et Domini*

nostri assistant. Quinetiam angeli ad missam ministrasse quandoque leguntur. Cum enim aliquando S. Gregorius Magnus die paschæ in templo S. Mariæ majoris celebraret et: *Pax Domini sit semper vobiscum*, dixisset, angelus Domini alta voce respondit: *Et cum spiritu tuo.* Propter quod papæ ipsa die ibidem celebranti et: *Pax Domini, etc.* dicenti nihil responderetur, inquit Joan. diaconus, in vita S. Gregorii. S. Oswaldo episcopo Vigorniensis legitur angelus sacrificanti ministrasse officiose et ad singula respondisse in ejus vita: similiter f. Joanni de Parma generali Franciscanorum, in eorum chron. to. II. l. 1. c. LVII. Hinc multi magnates honori sibi ducebant, ministrare sacrificantibus, uti Thomas Morus b. m. Angliæ cancellarius, S. Wenceslaus Bohemiæ rex non contentus sacrificio missæ quotidie interesse, etiam messis et vindemiæ tempore, oblitus quasi dignitatis suæ, metebat et vindemiabat, quæ pro sacrificio sacerdotum manibus offerret. Refert. Tymp. in speculo magistr. p. II. sig. XXIII. Denique, etiam ovicula S. Coletæ et S. Francisci ingressa ecclesiam missæ assistebat magna cum modestia, et elevationis tempore in genua nixa non ante finem surgebat, Surius, in eorum vita. Olim Christianos sub missa manibus in crucis formam expansis orasse, testatur S. Chrysost. hom. LXIX. ad pop. Antioch. Et quid mirum? Si enim tempore sacrificii veteris, teste Eccli. c. L. (*Omnis populus simul ceciderunt in faciem adorare Dominum.*) quanto magis hoc decet facere nos sub missa.

V. Ex punitione reproborum, qui missam contempserunt; non enim sine causa vocatur missa a S. Chrysost. hom. LXIX. ad pop. Antioch. *tremendum sacrificium: item horrore et reverentia plenissimum*, l. VI. de dignit. sacerdot. cap. IV. Exemplo sunt imprimis pueri quidam pastorii in Gonago Apamiæ agro, qui per jocum erigentes altare, sacrificii ritus imitantes panem et vinum consecrare conabantur: ubi mox ignis de cælo lapsus, altare et omnia superposita consumpsit, et pueros omnes ita examinavit ut velut mortui corruerint et verbum nullum ante diem sequentem loquerentur. Ad quem locum postea accedens episcopus, eo quo saxum fuerat loco in æternam rei memoriam ecclesiam edificari curavit et pueros in monasterium intravit. Refert. Jo. Eviratus, in prato spirif. ad Sophr. c. 1. XCVI. In oppido Hardewicensi non procul ab urbe Campensi, cum hæreticus quidam, missæ illusor, panis frustulum super verticem erigeret, repente totus obrigescens vitam misere finiit. Refert Costerüs, III. p. conc. III. Alia plura recenset Til. Bredebachius, l. 1. collat. sacr. Inter alia, cap.

LXIV. narrat in civitate Hollandiæ Gonda nomine, anno 1572. contigisse, ut dum catholicus quidam civis graviter decumberet, irriderent eum Calvinistæ quidam dictitantes per ludibrium, se missam illi dicturos, quo suavius defungi posset. Nec mora; quidam ex illis Hermannus Aldareich profert habitum et cætera missæ paramenta, adornatur diaconus et subdiaconus, canitur introitus et cætera. Ubi perventum ad agnus Dei, nuntium affertur sacrificanti, uxorem ejus coarctari doloribus partus. Ille protinus excusso habitu, festinus domum se proripiens, inter eundem audit uxorem enixam esse gemellos: sed domum ingressus reperit extinctos, et uxorem cum morte conflictantem, ac paulo post defungi videt; ipse quoque postridie peste corripitur, cum omnibus qui missæ ludicræ cooperabantur et adstantibus catholicis convalescit.

CONCIO V.

TRIPLES EXCUSATORES IN QUADRUPLI COENA, PENITENTIARIA, EVANGELICA, EUCHARISTICA, BEATIFICA.

I. Coena penitentiaria, et excusatores: 1. Qui villam emit. 2. Qui juga boum. 3. Qui uxorem duxit. — II. Coena evangelica fidei et excusatores: 1. Ob jacturam honoris sui. 2. Ob dispendium bonorum temporalium. 3. Ob propinquos. 4. Prædicantium terribilitate. — III. Coena eucharistica et excusatores: 1. Ob negotiationes. 2. Ob lites et contentiones. 3. Ob conjugium. — IV. Coena beatifica et excusatores: 1. Superbia. 2. Avaritia. 3. Gula et luxuria dediti.

THEMA.

Rogo te, habe me excusatum. Luc. XIV.

Ante octiduum, auditores, vidimus in cælo ternarium omni veneratione colendum et amandum, Deum scilicet Patrem et Filium et Spiritum sanctum, sanctissimam Trinitatem. Hodie occurrit nobis ternarius in mundo, sed omni execratione dignus, fuga et odio prosequendus: tres nimirum invitati ad celestem cœnam, sed mundo addicti, et quominus venirent, vanissime se excusantes. Primus ait: *Villam emi: secundus: Juga boum emi quinque, rogo te habe me excusatum: tertius: Uxorem duxi et ideo non possum venire: omnes a cælo exclusi et ad orbem relegati, quia bona terrena, cæteroque non illicita cælo præposuerunt.* Atque hic est ternarius ille diabolicus, quem describit S. Joannes, ep. 1. c. II. dicens: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum (hoc est avaritia) et superbia vitæ.* Quid enim emptor villæ nisi superbiam, quid emptor boum nisi avaritiam, quid uxoris ama-

tor nisi concupiscentiam carnis in sinu suo gestavit verbisque suis prodidit? Hæ sunt tres universales nassæ, quibus dæmon infinitos homines velut pisces capit et a celesti cœna retrahit. Hæ sunt tres illæ lanceæ Joab, quibus pendulum transfixit Absalonem, II. Reg. XVIII. His confixit diabolus primos nostros parentes in paradiso: concupiscentia carnis cum persuasit eis comedere de ligno vetito: concupiscentia oculorum, cum eis falso promisit: *Aperiantur oculi vestri: superbia vitæ cum eis falso item pollicitus est: Eritis sicut dii.* His denique configere in deserto ipsum Christum nisus est: concupiscentia carnis cum ait: *Dic ut lapides isti panes fiant: superbia vitæ, cum ait: Mitte te deorsum, scriptum est enim: Quoniam angelis suis mandavit de te: concupiscentia oculorum, cum ostendit ei omnia regna mundi dicens: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Pessimus hic ternarius totus quantus est, contrarius est ternario Sanctissimæ Trinitatis. Concupiscentia oculorum seu avaritia Deo Patri, qui totam suam divinitatem communicat Filio et Spiritu sancto essentialiter, creaturis vero participative: superbia vitæ Dei Filio, qui pro nobis formam servi induit, omnium infimus factus et crucifigi non abhorruit: concupiscentia carnis Spiritui sancto qui est amor castissimus, sanctissimus, omnisque obscenitatis hostis acerrimus. His tamen omnibus insuper habitis plurimi sunt, qui relicto sanctissimo et divino hoc ternario ad execrandum et diabolicum illum ternarium concedunt et cum vanissimis illis excusatoribus vanissime se excusant a pluribus Dei cœnis. Videamus.

I. Coena, quam reperio in ss. litteris, est coena penitentiaria. De hac scribit S. Joannes in persona Christi ad episcopum Laodiciæ, Apoc. III. *Ecce sto ad ostium et pulso: si quis audiverit vocem meam et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo et ipse mecum.* Pulsat Deus per gratiam excitantem cor peccatoris, querens intrare ad illum per gratiam habituatam, eumque reflexere sua visitatione et amicitia; cujusmodi convivium habuit cum Matthæo et Publicano recens conversis, et pater ille cum filio suo prodigo. Fereula hujus describuntur ab apostolo ad Rom. XIV. *Justitia et pax (conscientiæ) et gaudium in Spiritu sancto.* Verum quid agunt multi homines? Aliqui audiunt pulsantem Deum, sed non aperiunt; alii etiam fortius obserant fores, et profundius indormire peccatis suis incipiunt, ne vocem pulsantis audiant; alii denique contemnunt et irrident pulsantem, suntque prorsus surdi ad divinas vocaciones, adeoque fere desperati. Qui tres peccantium gradus non obscure insinuatur

in tribus illis excusatoribus. Primus, in eo, qui villam emit et it videre illam: villa ipsius peccatum semel admissum est: secundus, in eo, qui juga boum quinque emit, et it probare illa: hæc sunt peccata consuetudinis sæpius repetita, gravi jugo hominem deprimentia, nec jam visa solummodo, sed per delectationem probata et comprobata: tertius, in eo, qui uxorem duxit, et ideo non potest venire: hæc est omnimoda pertinacia fortissime adhærens peccato (qualis in libidinosis) adeoque contemptus et derisio vocationis divinæ, quomodo hic contemptim respondit: *Et ideo non possum venire*: de quo dicitur Proverb. XVIII. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*. Idem gradus mystice designati sunt in tribus prolihus Oseæ (de quibus, c. 1. Ose.) quarum primam (filiam) vocari jussit Deus *Jezebel*, id est, *semen Dei perditum vel occisum*; secundam (filiam) *Lorachuma*, hoc est, *absque misericordia*; tertiam itidem filiam, *Lo ammi*, id est, *non populus meus*. Prima proles denotat peccatorem suis illecebris intentum, ideoque Dei gratia destitutum: secunda vero eundem in peccatis suis obstinate progredientem, ac Dei ira, non misericordia, dignum: tertia eundem a Deo jam abjectum et reprobatum, qui ipse abiecit et contempsit ejus monitiones. Hæc igitur est scala rectissima ad infernum, jure metuenda vel in primo gradu, ne de primo devolvamur ad secundum et de secundo ad tertium. Hanc a se orando amolitur David, Ps. LXVIII. dicens: *Non me demergat tempestas aquæ* (vide primum gradum), *neque absorbeat me profundum* (vide secundum gradum), *neque urgeat*, id est, *non claudat super me puteus os suum* (vide tertium.) Idem propheta, Ps. 1. beatum prædicat illum, qui ab hac scala longe abest: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*; in **primum**: *et in via peccatorum non stetit*, in **secundum**: *et in cathedra pestilentie non sedit*, Hebr. *in cathedra derisorum non sedit*, in **tertium**. In primo gradu peccatores ambulat, super modum transeuntis hærent, facile reducendi, si a Deo respiciantur et vocentur: in secundo stant per diurnam consuetudinem et peccatorum delectationem: in tertio sedent per obstinationem, sine omni metu et remorse conscientie quiescentes in peccatis pestiferis. Primus non nihil civiliter respondet in hodierno evangelio: *Villam emi, et necesse habeo exire*; necessitatem enim obtendit impedimenti quasi justam vel urgentem saltem causam absentie. Alter impudentius: *Juga boum emi quinque, et eo probare illa*: Eo, inquit, quasi dicat: Sic jam placuit mihi; nihil causæ adfert cur jam debeat ire. Tertius omnium impudentissime et obstinatissime: *Uxorem duxi, et ideo non possum venire*.

Recte: *Non possum*, inquit, quia ubi quis peccatis pertinaciter adhæret, jam non potest venire, hoc est, difficillime. Exemplum refert Septemcastrensis, cap. XXI. de quodam apud Turcas christianæ fidei desertore. « Illum in familiari colloquio interrogavi, inquit: Quare hoc fecisti? Aut quid te movit? Nihil aliud respondere potuit, quam: *Maledicta dies est, in qua hoc feci*. Et ego: Quare ergo non reverteris ad fidem Christi? Tum ille retorto collo et averso vultu: *Non possum*, inquit. »

II. Est cœna evangelica fidei et religionis catholicæ, ad quam per apostolos vocavit totum mundum. Lex vetus fuit quasi prandium diei, salutis et Ecclesiæ Christi: lex nova vero, cœna et novissima hora est. Ac sicuti cœnam non sequitur alia refectio: ita post apostolicam et catholicam religionem alia expectanda non est. Sero nimis igitur venit Mahometh cum suo alcorano: Lutherus cum suo quinto evangelio, alique novatores, quorum evangelia non nisi nocturnæ commensationes sunt, ebrietate et insaniam cerebrum obtundentes. Porro videamus cur ad cœnam istam detrectent venire hæretici Primo, aliqui excusant se propter villæ neglectum, id est, honoris et famæ jacturam, siquidem leves, inconstantes et perfidi, qui fidem violaverint, audituri sint, si ad catholicos transeant. Verum sciant non esse turpe rescindere in male promissis fidem, nec obligare juramentum contra bonos mores præstitum. Sane si dedecorosum judicant redire ad Ecclesiam, ergo infamis etiam Lutherus fuit, qui ab Ecclesia descivit, cui fidem dedit; et quotquot eum secuti sunt. Et sicut laudem sibi peperissent, si post lapsum resipuissent et ad Ecclesiam suam redissent; ita laudandus est, cum quis deserta hæresi reddidit se Ecclesiæ. At licet tu in vel ab Ecclesia Romana baptizatus non sis, nihilominus tamen per baptismum a quocumque tandem collatum, Christi et Ecclesiæ ejus membrum factus es. Secundo, prætendunt boum, id est, honorum temporalium dispendium, siquidem non sine magno rerum damno mutari fides et domicilium queat, periculumque inopie præ foribus expectet; accedit jactura successione hæreditariæ, quæ alias sperari possit: profugiendum erit a patria, resignandi honores et dignitates, incurretur odium principis et proximorum. Verum hoc ipso nomine beatum te existimare debes, qui bonorum tuorum jacturam pro Christo cum gaudio sustineas. Deinde, etsi jacturam aliquam feceris, scias quod dixit quidam vir sanctus Amasæ regi Juda, qui centum talentis conduxerat milites Deo exosos. Jussit enim eos dimitti, et cum rex objiceret jacturam argenti factam: *Quid ergo fiet de centum talentis quæ de-*

di militibus Israel? respondit homo Dei: *Habet Dominus, unde tibi dare possit multo his plura*, II. Paral. XXV. Themistocles pulsus primum Athenis, deinde tota Græcia, cum ad regem Persarum venisset, repente ditissimus ab eo factus est: unde magnifica ejus dona intuens: *Amici*, inquit, *pejeramus, ni periissemus*, Plut. in apophth. Notum quoque illud Anaxandridæ responsum ad quemdam qui exilium ægre ferebat: *Ne exhorrescas exulare a civitate, sed a justitia*. Idem cogitandum in præsentem.

Tertio, alii uxorem, id est, propinquos suos objiciunt, quorum odium incurrere debeant. Addunt se religionem suam a parentibus accepisse: non recedendum a parentum fide, nec eos condemnandos quasi perperam credidissent. Verum cogitent isti quid dixerit Deus Adamo, Gen. III. *Quia audivisti vocem uxoris tuæ*, inquit, *maledictus eris*. Cogitandum quoque ait S. Bernardus: *Magna abusio, domus ardet, ignis instat a tergo et fugienti prohibetur egredi et hoc ab iis qui in incendio sunt*. Quare sicut ex incendio illico proriperes, non attentis propinquis qui te retinere vellent: ita fac in proposito. Sed obstant ministri verba, quasi altera quædam uxor. Verum: *Sine illos: cæci sunt et cæcorum duces*. Conantur illi suis terriculamentis exosam reddere fidem catholicam ad absterrendos suos, sed non nisi per mendacia: similes illis Palestinæ exploratoribus, qui mendaciter sibi et populo persuaserunt, quasi terram Chanaan nequaquam obtinere possent, Num. XIII. Primo, eo quod terra illa devoraret habitatores suos, ob aerem scilicet noxium et pestilentem: secundo, quod urbes haberet grandes et muratas munitasque usque ad cœlum, ut dicitur Deut. 1. tertio, quod grandia hominum monstra et gigantes aleret, quibus comparati quasi locustæ viderentur. Hunc in modum Prædicantes arcent per mendacia sua a conversione. Primo, dicunt: Terra, quam in Ecclesia papistica lustravimus, devorat habitatores suos, eorum opes et pecunias exhauriendo oblationibus, elemosynis, missis, templorum structura et ornatu: ipsa hominum corpora enecando precibus, jejuniis aliisque præduris penitentiae operibus: ipsas denique animas variis superstitionibus et idololatriis in orcum demergendo. Deinde, vidimus ibi urbes grandes et muratas, præceptorum decalogi et Ecclesiæ observationem mandatam, gravem et impossibilem carnis edomationem, crebra jejunia, supplicationes, confessiones auriculares, conscientiarum carnificinas, censuras ecclesiasticas. Ad extremum, ibi cernuntur monstra horrida, papa seu antichristus, cardinales ejus asseclæ, cornua illius bestie, episcopi, et monachi aspero vestitu,

adoratores bestie. Ibi gigantes Franciscus, Dominicus loricator, Capuccini, Carthusiani, Jesuitæ, etc. quibus comparati quasi locustæ sumus, quia carnis nostræ infirmitas rigorem illorum ne videre quidem, nedum imitari potest. Verum uti improbi illi exploratores partim finxerunt, quæ dicebant, partim enormiter amplificaverunt et de musea elephantem euderunt; ita faciunt præcones hæreticorum suis auditoribus in his et harum similibus calumniis, quamquam in ultimo saltem verum dicunt.

III. Est cœna eucharistica, quæ conficitur in sacrificio missæ et exhibetur in s. communionem. Jure vero cœna vocatur et quia vesperi et post cœnam agni facta, et quia ad finem vitæ Christi instituta, et quia est ultima esca sive viaticum morientium, et quia cœnam illam cœlestem, in qua beati fruuntur Deo, aperte representat et quasi in pignore donat, exhibens nobis ipsum Dei Filium. Unde Ecclesia canit: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, et futuræ gloriæ nostris pignus datur*. Ad hoc convivium omnes vocati sunt quotquot Christum profiterentur: soli canes, id est, infideles et qui a peccatis nondum mundati sunt, excluduntur. Juxta id Domini: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus*, Matth. XV. et illud: *Nolite sanctum dare canibus*, Matth. VII. In hoc omnia parata sunt: locus, ecclesia, cibus a sacerdotibus confectus et conditus sub accidentibus ut edi possit, ministri, sacerdotes, aqua ad præviam manuum lotionem, penitentia, mensa, altare. Sola hominis cœnaturi præparatio requiritur, ut lota accedat conscientia, et cum esurie spirituali. Sed quid contingit? Uti in hodierna cœna, ita et illa eucharistica se excusant multi. Primo, dicunt aliqui non vacare sibi ut vel in paschate semel, vel in anno crebrius ad hanc mensam veniant, quia villam emerunt, hoc est, quia negotiationi et mercaturæ vel agriculturæ vacare, vel artificii suis incumbere, vel præfecturis suis intendere, vel magnam familiam alere tenentur. Sed hi imprimis considerare deberent, utrum primi Christiani, qui a tempore apostolorum usque ad tempora S. Augustini, vel quotidie, vel saltem in hebdomada sæpius, aut ad summum semel, cœnæ hujus participes se fecerunt, non iisdem vel similibus studiis et occupationibus fuerint distenti: utrum non et ipsi vel opifices vel mercatores vel agricolæ fuerint: deinde, utrum dum his temporalibus commodis student, interim non spiritualia commoda, eaque longe majoris lucri negligant. Et quid si interim cœlum perdant, dum lucrari terram satagunt? Nonne audiunt Dominum: *Quid prodest homini si universum mundum lucratur, animæ vero suæ detrimentum patitur?* itaque

licet valida sit eorum excusatio, tamen sine damno non est; quia dum quærunt minus bonum, perdunt majus bonum.

Secundo respondent alii, se emisse quinque juga boum, hoc est, implicatos se esse inimicitias, litibus et contentiōibus, necnon gravi peccatorum jugo premi, quod non possint tam facile excutere: vel impediri se propter sordes et paupertatem suam: cum bobus et stabulis, cum stipe et mendicis sibi rem esse, non habere quo honeste vestiantur, etc. Verum hæc excusationes frivola sunt; propterea enim vel maxime festinandum ad confessionis et communionis sacramentum, ut onus peccatorum et inimicitiae deponantur. Lites et causae forenses suum progressum habere possunt, et justitiae committi debent, communionem non impediunt, modo odium et rancor eas non comitetur. Ad vestium cultum vel neglectum non attendit Deus: animam vult mundam; sordes corporis non horret.

Tertio, respondent alii: *Uxorem duxi*, hoc est, conjugio et liberis opera danda: vel: *Uxorem habeo fastidiosam, carnem morbo obnoxiam*. Quibus respondendum, conjugium Christianorum sanctum esse debere, ideoque sic moderandum, ut ne conjugati in solemnioribus saltem festivitibus impediatur ab animae cura et refectione instituenda, sed juxta consilium apostoli, 1. Cor. VII. ad tempus consuetudine abstineant propter orationem et cultum divinum. Non audienda uxor et Eva, quando invitat ad lignum mortis: Deus præferendus qui ad lignum vitae invitat. Egritudo corporis vel ipsamet hominem urget, præsertim periculosa, ut medelam a Deo quærat per s. communionem.

IV. Est cœna beatifica, de qua loquitur hodierna parabola, necnon Joannes, Apoc. XIX. *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*. Ad hanc vocati imprimis Judæi, deinde etiam gentiles. Verum non omnes vocati comparant. Alius enim respondet: *Villam emi*, etc. alter: *Juga boum emi quinque*: tertius: *Uxorem duxi*. Horum excusationes non quidem continent res in se malas aut illicitas, sed tres tamen peccatorum radices notant, quas describit S. Joan. ep. 1. c. II. dicens: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et superbia vitæ*. Prima igitur excusatio de villa designat superbiam vitæ, ad quam spectat ambitio, fastus, appetitus excellentiæ, laudis et gloriæ. Ejus vero objecta sunt superbiæ vestes, pantiæ, pompa, famuli, rhedæ, dignitates, magistratus, dominia, prædia, eorum tituli, etc. Et hæc multos illaqueat atque a cœlo abducit. Audiamus Ecclesiasticum, c. XI. *Sicut perditur inducitur in caveam, sic et cor superborum*.

De perditioe scribit S. Aug. I. XIII. contra Faustum, c. XII. *Perditio nimis contentiosum animal: notum est, quanta aviditate contentiōis currat in laqueum*. Scimus etiam perditioe objectu picti bovis aut equi propelli in retia: sic igitur et superbi, quia neminem facile audiunt, sed sibi solis sapiunt, cum impetu quasi peccant, et in præcipitum currunt, uti Lucifer qui dicebat in corde suo: *In cœlum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, etc. Veruntamen ad infernum detractus est in profundum lacti*, Isa. XIV. Hinc excusator iste ait: *Villam emi, et necesse habeo exire, etc.* Necesse, inquam, habuit, quia fastus novi prædii contemplandi eum vi abripuit in laqueum diaboli. Ad hæc superbi dum contemplantur res pictas honorum, laudum, gloriæ, dignitatum fumos, rati eas esse solidas, impelluntur in laqueum, quemadmodum perditioes. Hinc iste invitatus dixit: *Necesse habeo exire et videre illam*. Videt enim et contemplatur tantum superbus suam gloriam vel excellentiam, nihil aliud inde percipit. Hoc laqueo comprehensus et a cœlesti cœna retractus fuit Heron eremita, qui suis meritis stulte præsumens et illus a diabolo iniecit se in profundissimum puteum, quasi ob merita virtutum suarum nihil adversi passurus: unde semmortuus a fratribus extractus, perstitit adhuc, et obiit in stulta sua præsumptione, apud Cassian. coll. II. c. V. Idem penè contigisset Secundello diacono, cui in insula vitam eremiticam agenti apparuit tentator in specie Domini dicens: *Ego sum Christus, quem continue deprecaris: jam enim sanctus es et nomen tuum in libro vitæ cum reliquis sanctis meis adscripti; egredere nunc ab hac insula, et vadens fac sanitates in populis.* His et ille illectus deceptionibus discessit ab insula, nec socio nuntiavit: tamen cum infirmis in nomine Christi manus imponebat, sanabantur. Reversus autem post multum tempus ad insulam, venit ad socium cum vana gloria dicens: *Abii extra insulam, et virtutes multas in populis feci*. Cumque contentus ille interrogaret, quid hoc sibi vellet, cuncta, quæ gesserat, simpliciter pandit. At senex obstupescens, suspiransque ac lacrymans ait: *Væ nobis, in quantum audio, a tentatore delusus es: vade age penitentiam, ne ultra tibi prævaleant ejus doli.* Respuit ergo iste hortatu et precebus S. Friardi, cum quo habitabat, ut scribit Greg. Turonens. I. de vita patrum, c. X. Sur. I. aug.

Secunda excusatio de quinque bobus denotat concupiscentiam oculorum, ad quam spectat avaritia. Ejus vero objecta sunt, aurum, argentum, gemmæ, opes, boves et opes, agri, etc. quæ dum oculos irritant, mentem illaqueant et

CONCIO VI.

VARIUS MODUS COMPELLENDI HOMINES AD SALUTEM.

I. Efficacibus argumentis, et gentiles, et hæretici, et catholici compelluntur. — II. Per instantem prædicationem: 1. Cum zelo. 2. Cum exemplo. 3. Cum doctrina sana. — III. Per miracula. — IV. Per flagella et terrores.

THEMA.

Eci in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea. Luc. XIV.

In magna ista cœna proponit Christus ferculum, quod multis non tantum non sapit, sed nauseam etiam et horrorem creat; estque verbum illud: *Compelle intrare*. Hoc enim ferculum, quantum procaces pueri timent virgam, quantum fures carcerem et patibulum, quantum scabiosa capita pectinem, tantum horret imprimis hæretici, qui fidem sponte suscipiendam, non coacte, volunt. Deinde, perveraces catholici qui Ecclesiæ non obtemperant, cum gladio excommunicationis ad obedientiam compelluntur. Denique, omnes reprobi, cum a Deo variis modis urgentur et compelluntur deserere mores perversos, et reverti ad penitentiam. Sed revera isti omnes immerito conqueruntur de hoc tam salutari ferculo. Nam etsi non nihil amaritudinis continet salutem tamen animæ parit. Sed qui modi compellendi? Audiamus.

I. Efficacibus, et insolubilibus argumentis. Sic convicti sunt gentiles de deorum suorum vanitate, cum ad oculum eis ostendebatur, idola eorum non deos sed lapides et ligna, aurum vel æs, adeoque opera manuum hominum esse. Sic convinci possunt hæretici insolubilibus argumentis, quasi nucibus, quas nequeunt frangere dentibus. Veluti primo, si quæramus ex illis, in quo orbis angulo fides Lutherana ante Lutherum, Calviniana ante Calvinum fuerit, ante annum nimirum 1518.

Secundo, cur novæ adhæreant doctrinæ, quæ nec ullo miraculo comprobata est, nec aliquo judicio confirmata, neque ullum adhuc proferre potest, qui in ipsorum secta existens gehennam evaserit, et cujus explorata sit beatitudo: nulum denique habuit unquam imperatorem suæ religionis?

Tertio, ubi et quando et a quibus fides apostolica sit adulterata? Quis primus celebravit missam, confessiones audivit, sanctos et reliquias coluerit, etc.?

Quarto, ubi scriptum sit, nihil esse credendum, nisi quod in ss. litteris expressum est?

Quinto, unde constet ipsis, Scripturæ expositionem, quam ipsi pro suo capite afferunt, præ-

a cœlo abstrahunt. Unde bene concupiscentia oculorum vocatur, uti etiam propterea, quia vix amplius concedit avaro, quam ut opes suas oculis usurpet. Sane iste ait se probare velle boves indicans avaros solum delibare supremis labris opes suas, quia reconditas eas malunt quam a se absumptas. Addit etiam se juga boum quinque emisse: quia avaritia revera grave jugum est, imperans avaro ut vigilet aliis dormientibus, ut jejundet aliis edentibus, ut per maria naviget, et quieti domesticæ renuntiet, ut neglectis aliis honestis et salutaribus studiis, sordibus avaritiæ vacet, cujusmodi avarissimum episcopum Pragensem, nomine Albicum, describit Cochleus, l. 1. et Aneas Sylvius graphice ad modum depingit dicens, claves cellæ cingulo alligatas gestare, et carnem ferinam aliunde dono sibi missam, per famulos in foro vendere, atque etiam ne edacioribus ministris uteretur, anus edentulæ opera in culina uti solitum. Idem rogatus aliquando eodem testante Sylvio, quis sonus omnium maxime esset molestus? Eum, aiebat, quem maxillæ os rodentes, ederent. Et hoc quidem modo, neglecto commissarum suæ fidei ovium pastu, bonus ille vivebat archiepiscopus. Timendum sane ne pastor iste bobus tantum intentus cœnam illam Dei neglexerit.

Tertia excusatio de uxore ducta notat concupiscentiam carnis, ad quam pertinet gula et luxuria. Ejus objecta sunt vinum, epulæ, Venus. Hæc hominem quodammodo absorbet, et in bestiam commutat, ut de Deo et cœlesti cœna vix unquam cogitare queat, sed in patinis semper et cubiculis hærerat affixus. Unde ait iste: *Uxorem duxi*, quam videlicet dimittere non licet. Priores duo emerunt villam et boves, unde eas iterum alienare et deserere poterant; sed uxor ducta alienari aut deserere nequit. Rursum, priores illi adhuc rationis et humanitatis aliquid habere, dum dicunt: *Rogo te, habet me excusatum*; sed iste nihil rogat et culpam non agnoscit. Denique, priores si instantius rogati fuissent, poterant flecti, sed hic minime, unde ait iste: *Ideo non possum venire*, prorsus inhumaniter, quasi libero arbitrio et ratione destitutus; quia Osee IV. dicitur: *Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor*, id est, mentem et judicium; uti Theotimo illi, apud Ambros. l. IV. in Luc. IV. qui spreto medici consilio maluit oculorum lumine, quam uxoris consuetudine destitui, dicens: *Vale amicum lumen*. Eadem libido Salomonem, uti timendum a cœna illa abstraxit; siquidem dubia est ejus penitentia et salus. Abstraxit Henricum VIII. Angliæ regem ob inductam legitimæ conjugii Annam Bolenam uti ab Ecclesia, ita et ab ejus cœna. Quare moriens jure dicit: *Amici omnia perdidimus*. Quod a nobis avertat Deus.